

**Dissertatio medica inauguralis, de dyspepsia ... / eruditorum examini
subjicit Robertus Willis.**

Contributors

Willis, Robert, 1799-1878.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Jacobus Neill, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qjtjcebg>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO
IN ACO

DYSP

ANNUENTE
EX AUCTORITATE

D. GEORGII
ACADEMIAE STUDII

ACADEMICI SENATUS
MAGISTRORUM FACULT

Pro Grat

IN ACO

RECTOR

ROBERT

Calendis August

EDITIONE

Excelsior

M.D.

(3.)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS WILLIS,

Scotus.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Excudebat Jacobus Neill.

M,DCCC,XIX,

1870

THOMAS WILLIS, M.D.

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LECTURE NOTES

ON THE HISTORY OF

AND

CONSTITUTIONAL MEDICINE

HAND DISSEMINATION

PRINTED BY

THE UNIVERSITY PRESS

OF

CHICAGO, ILL.

IN THE UNIVERSITY BUILDING

CHICAGO, ILL.

1870

ROBERTS WILLIS

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

VENTRICULO cum reliquo corpore consensus talis et tantus est, ut summam Medici attentionem sibi optimo jure semper vindicârit, sitque vindicaturus. Hac attentione nunquam non dignus erit, sive functionem imprimis utilem spectemus, qua fruges et carnes ingestas systemati assimilât, et sic vires renovat, et damnum diversarum machinæ animalis partium reficit ; sive ut sedem

sympathiæ principem ; nam “ Languido ventri-
culo, languent omnia.” Quantopere totum
corpus afficit ventriculus, in nullo e morbis prope
innumeris, qui genus humanum invadunt, tam
plane cernitur, quam in hujus organi inflamma-
tione ; primo enim impetu homo firmissimus va-
cillat. Venenis in eum assumptis prosternun-
tur maximæ vires. Medicamenta fastidium
cientia hominem ægrum et debilem reddunt ;
denique ictum vel levem in ventriculi sedem im-
pactum, mors subita haud raro secuta est. Si
maxime necessaria, quæ maxime generalia, sint
organa habenda, naturam animantium ne raptim
quidem inspicere possumus, quin utilitatem ven-
triculi cernamus ; quippe cuncta, vel infima, ani-
mantia ventriculum habent ; et ubi cor, pulmones,
cerebrum, ceteraque viscera apprime necessaria in
superiore animalium ordine, vanescunt, hunc ni-
hilominus invenimus, sæpe, ceu arteriæ, ramos
pandentem, et, specie saltem, plerisque muneribus
fungentem, quæ minus simplici fabricæ animalium
superiorum pertinent.

De concoctione depravata, cui nomen *Dys-
pepsia* imponitur, breviter his paginis disserere

statui. Prius autem quærendum est, quæ vires concoctioni inserviant; functio quoque in homine sano consideranda est. Viri solertes a HIPPOCRATE usque ad nostra tempora, sententiis de viribus quæ cibum in chylum convertunt valde discrepârunt. HIPPOCRATES putredini, quidam tritui, alii calori, alii denique fermentationi imputandum censent. Omnes autem ineptiis præstat VAN HELMONT, cui placet, hoc effici a vi vitali animæ, quæ, si illi credamus, sedem in ventriculo habet. Vix minus inepta fuerunt commenta aliorum et recentiorum medicorum, donec in mentem cuidam cecidit, fieri posse, ut hæc mutatio mira ab aliquo solvente incognito afficeretur. Hanc conjecturam accurate confirmârunt REAUMUR, MONRO, HUNTER, STEVENS, et SPALLANZANI, quorum uterque, multis experimentis perite ac feliciter institutis, demonstravit, in hoc processu maxime activum esse succum limpidum et mucilaginosum, a ventriculo secretum; aquæ puræ similem; quibusdam animalibus insipidum, aliis aliquantulum aut acidum aut alkalinum.

Tantum abest a rebus quibus miscetur ad putredinem aut fermentationem disponendis, ut harum mutationum utrique valde resistat. Non mollia tantum in ventriculum vulgo, ut alimenta, recepta dissolvit; ossa quidem omnino dissoluta sunt, aut multum ponderis amiserunt; ebur quoque, et dentium encaustum in ventriculis aliquorum animalium solvuntur; et ventriculus ipse, hujus succi non nisi in corpore vivo resistit actioni; enim post mortem, sæpe erosus cernitur. Imo tanta est vis hujus liquoris, ut res extra corpus dissolvere, per experimenta quorundam philosophorum cognita sit; ad hoc tamen efficiendum idem calor adsit necesse est, qui in vivo corpore animalis ex quo paratum est, liquor solvens. Nonnihil interesse videtur inter succum gastricum animalium quibus calidus, et eorum quibus frigidus sanguis est; in his enim tam cito quam in illis solvitur cibus. EVERARDUS HOME, Eques, (ut et alii) observavit, abdomine vivorum animalium patefacto, ventriculum plerumque inventum esse in duos sacculos, vel sedes, a strictura in medio divisum. In cardiaca vel sacculo sinistro, res variæ quas animal nuper devoraverat, fa-

cile a colore cæterisque rebus detectæ sunt, pylorica autem plena erat massa cinerea et pultacea in qua nullum vestigium cernere erat pristini status cibi. Inde ratus est, cardiacam nihil aliud habendam esse quam receptaculum aut mace- ratorem, a quo cibus sensim transmittitur, ut processui concoctionis in pylorico sacculo subjiciatur. Hanc opinionem confirmare videntur dissectiones complurium ex animalibus inferioribus; quippe in equo, in lepore, et quibusdam aliis, cardiaca tenui cuticula tegitur, et vicem receptaculi tantum præstat; pylorica autem speciem rugosam habet ventriculi quarti vel concoquentis animalibus ruminantibus proprii. Scimus enim cibum in his animalibus minimam subire mutationem, donec in ventriculum quartum venit, quum alii tres tantum ad alimentum moliendum et contundendum sufficient.

In corpore humano ventriculus ad orificium cardiacum firmiter, ad pyloricum laxius affigitur, inter hæc laxè pendens: Impletum, in se volvit, et hoc motu orificium cardiacum claudit, ita ut extremæ parti æsophagi valvulæ vicem tribuat; ascensu tamen potius juvat transitum cibi con-

cocti, vel, ut nunc dicitur, chymi, in intestina. Ventriculus sanguinem accipit ab arteria cœliaca; et vis nervosa a pari vago et ramis intercostalium derivatur, quæ, quum omnia viscera thoracis et abdominis quoque suppeditent, explicationem quodammodo præbent magni inter ventriculum consensus, et partes quamvis distantes corporis; caput scilicet, cor, pulmones, &c., quæ omnia, plus minusve patiuntur in hujus organi affectibus.

In corpore sano, cibus bene manducatus, et salivâ copiose mistus, in ventriculum descendit, ubi cum succo gastrico, vel solvente, miscetur, omniaque corpuscula varia, prorsus confunduntur, ab actione muscosa visceris; nullus aër emittitur, omnisque eructatio, sive aëris qui devoratus sit, sive cujusvis alius rei, ab apparatu valvulato, quem supra memoravimus, compescitur, denique spatio inter tres et quinque horas totum alimentum in massam cineream, pultaceum, et semifluidum, mutatum est; sphincter valvatus pylori nunc relaxatur, et maxima pars massæ concoctæ gradatim in intestina transiit, in duodeno, secretionibus jecinoris et pancreatis com-

mista, per reliquam partem tubi intestinalis, actioni absorbentium subjicitur; et copiâ nutrimenti salutaris distributâ ad jacturam corporis reficiendam, corpuscula terrena, et quæ solvi nequeant, per canales proprias, et tempestivis intervallis, demum extruduntur.

His paucis notatis de viribus quæ cibi concoctioni inserviunt, et de functione sana, nunc animum advertamus, ad argumentum quod nobis in hac dissertatione præcipue proposuimus, concoctionem, scilicet, depravatam, vel Dyspepsiam.

DEFINITIO.

“ ANOREXIA, nausea, vomitus, inflatio, ructus,
“ ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora
“ saltem vel plura horum simul concurrentia,
“ plerumque cum alvo adstricta; et sine alio, vel
“ ventriculi ipsius, vel aliarum partium morbo*.”

* Vid. CULLENI Synopsis Nosolog. Method.

Tot tamen, et tam varia sunt phenomena quæ morbum comitantur, ut difficile sit, compluribus etiam verbis, enumerare cuncta quæ singulis casibus adsint. Pauca e maxime molestis et generalibus, seligere conabor.

HISTORIA.

Hic plerumque ineuntis ætatis morbus est, et sensim irrepere sæpe videtur. Puerum ipse novi, qui primo semel tantum in hebdomade Dyspepsiæ symptomata præbuit; paulatim morbi accessus frequentiores facti sunt, donec in Dyspepsiam confirmatam exierunt; quæ diu, etiam in tempus præsens, inveteravit. Ineunte morbo, talis ponderis et molestiæ sensus, qualis sanus fere sentit quum violenter se exercere statim post prandium coactus sit, ægro semper adest in ventriculi sede; et hoc inter prima signa incipientis morbi est, cum sensu ardoris ventriculi et æsophagi extremi, et eructatione materiæ, plerumque acidæ, nonnunquam insipidæ. Deficit cibi appetitus; conspectus etiam cibus, aut imagina-

itioni se offerens, fastidium ciet; aut, e contrario, cupidine plus quam solito cibum interdum appetit, cui si indulgeat æger, a multis symptomatibus molestissimis sæpe in tempus levatur; nausea vel vomitus cum torminibus, et ventriculi et intestinorum sævis doloribus, cardialgia angente, et salvo plerumque astricta; intestina murmurant, flatuque multum distenduntur; qui, si sursum deorsumve se extricat, ægro levamen affert: Corpus reliquum male se habet; adest dolor capitis, vertigo, muscæ volitantes, scintillæ ante oculos, et tinnitus aurium, lassitudo et debilitas musculorum voluntariorum; corpus et animus pariter ad operam navandum impotentia; male plerumque dormit æger; diris insomniis, incubu, aut membrorum spasmu turbatus.

Post cibum captum, præsertim carnes aut cibaria condita, afficitur somnolentia, calore, vultus rubore, arteriarum pulsibus præter solitum frequentibus; si somnolentiæ indulgetur, ingravescit febris, et tum incubus maxime imminet; expurgiscitur tandem debilis, defatigatus, nec refectus. Huic autem somnolentiæ si fortiter resistatur, (et fortitudine opus erit) exercitatione aut occupatione modica, spatio circiter horæ desinit,

nec aliquid relinquit molestiarum quæ indulgentiam semper sequuntur. Palpitatio cordis, plus minusve dyspnææ, et pulsus debilis, hunc morbum fere comitantur; mens quoque aliquid soliti acuminis amittit. Morbo ingravescente, symptomata molesta augentur omnia; nausea perpetua; dolor ventriculi obscurus; alvus astricta, sed nonnunquam soluta; fæces atræ et foetidæ; symptomata ad caput pertinentia multum aggravantur; oculorum acies hebescit; dilatatur pupilla; tinniunt aures; spiritus male olet; lingua squalet, aret, et crusta obducitur; respiratio fit rapida, cum tussi, et singultu frequenti; cor nunc violentius palpitat; pulsus frequentiores et debiliores sunt; algent extrema; et, partibus solidis generaliter laxatis, copia præter naturam fluunt saliva et urina. Ægrum haud raro hypochondriasis invadit; remedium desperat: Vultus mœstus, pallidus, aridus, justum animi statum prodit; alacer olim et comis, nunc morosus et asper est; offensa levissima iracundiam incendunt, et in culpas venia indignas amplificantur; donec sibi ac suis pariter infestus, impellitur ut mortem sibi consciscat; vel si hunc dirum effugiat exitum, maneatque morbus, jecinoris cæterorum-

que viscerum functiones multum impediuntur, et horum tumores, aut debilitas inveterascens, hydrope, vel febre hectica inducta, finem miseriis imponit.

CAUSÆ REMOTÆ.

HAS CULLENUS bipartito divisit; in eas, scilicet, quæ directe agunt, ipsum debilitantes ventriculum; et in eas quæ totum corpus, vel singulas partes afficiunt, sed quæ ad ventriculum ipsum effectus noxios ultimo extendunt.

E rebus quæ ventriculum ipsum debilitant, nullæ narcoticis valentiores sunt. Ad hoc modo conferunt opium, et liquores ardentis; hæc inter se magnam habent similitudinem modo agendi: Primo exhilarant stimulantque; collapsu pari semper sequendæ. Effectus exitiales gignere videtur opium, ventriculi vires hebetando, et secretiones corrumpendo; ad hoc, liquores ardentis jecur maxime afficiunt, quippe qui duritiem et obstructionem huic visceri afferant. Tabacum nervos præcipue videtur afficere; manducatum, salivam quoque tam necessariam ad concoctionem rite præstandam, consumit: Pul-

vis necnon in nares haustus, morbi causa fieri potest; quippe ejus haud parva portio nonnunquam in ventriculum absorpta sit. Medicamenta cathartica vel vomitoria, frequentius sumpta, ut et amara, aromatica, et stimulantia, ventriculum semper debilitant, et quoque incitant ut plus cibi capiat quam bene concoquere possit.

Thea et caëea, partim quia calidæ bibuntur, fortasse quia vim narcoticam habent; et ullus quidem liquor, præsertim calidus, large haustus, ventriculi vires semper minuit. Inter causas quæ constitutionem totam afficiunt, enumerare licet vitam sedentariam, studiumque intensum; hæc semper torporem intestinorum inducunt, secretiones minuunt; ac si hæc evitemus, et curæ satis alvi statui adhibeamus, dyspepsiæ accessum sæpe potuimus remove. Graves animi motus haud parum secretiones afficiunt, et, ut GREGORIO placet, ad hunc morbum in gravissima et manente forma inducendum, prorsus sufficiunt: nimia quoque in rebus venereis indulgentia idem efficit, propter magnum testiculi cum ventriculo consensum, "nam omne animal post coitum triste." Nonne conjicere licet,

mala dyspeptica, ætate pubertatis tam sæpe occurrentia, quodammodo pendere posse, a mutatione quæ in hoc organo isthuc ætatis fit? Ebrietate frequente, dieta parca, vel si diu et sæpe versemur in aëre humido frigidoque, vel statim post cibum captum vehementer nos exerceamus, concoctio vitiabitur.

CAUSA PROXIMA.

MEDICIS varie placuit, atoniam in fibris ventriculi musculosis, succum gastricum vitiatum, aut nimis parce secretum, fuisse proximam causam; et ea singula aut conjuncta hunc morbum inducere posse.

Primam tantum, CULLENUS proximam causam dyspepsiæ agnoscere vult, jureque affirmat, ex debilitate fabricæ musculosæ omnes alias causas oriri posse. Ipse, plus semel, quum corpus hominis dyspepsia afflicti concusserim, res in ventriculo contentas crepitare audivi, haud aliter ac si aqua in utre agitata esset. Juvenem nuper vidi, qui hac de causa credidit, se hydrothorace ægrotare. Nullum talem strepitum in sano est

audire ; quia, ventriculus ingesta haud parva vi complectitur.

E causis remotis, quas jam diximus conferre ad causam proximam parandam, atoniam scilicet fibrarum ventriculi musculosarum ; multorum sensuum molestorum qui dyspepsiam comitantur ; rationem reddere, in promptu est. Sensus nimirum ponderis ex hoc oriri potest, quod fibræ debiles ventriculi, ingesta non æque ac in sano sustineant. Massa alimentaria diutius justo in ventriculo detenta, fermentescens, et generans acidum carbonicum, flatum ructumque inducit.

Cardialgiam et gastrodyniam facessit massæ acrimonia, contractione spasmodica et abnormi fibrarum musculosarum ab irritatione insolita : Capitis, cordis, et pulmonum, affectuum symptomaticorum, ratio quærenda est in miro consensu nervoso ventriculi cum reliquo corpore. Alvi pigrities hujus morbi fere semper comes, pendere potest ab atonia, seu debilitate, serpente per totum cursum tubi intestinalis.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

HÆ paucae sunt, et ad duo capita fere refer-

endæ, Juventutem et Temperamentum Sanguineum.

DIAGNOSIS.

UT hunc morbum a hypochondriasi dignoscamus, ægri temperamentum et ætatem maxime spectare oportet. Juvenes dyspepsia invadit; et ætate provectoribus plerumque levatur. Majorum natu hypochondriasis est, et, annis labentibus, fere semper augetur. Dyspepsia sanguineis incidit, quorum fibræ irritabiles, color pulcher, crines flavi, oculi cærulii. Hypochondriasis melancholicis, quibus fibræ firmæ, et rigidus corporis habitus est, color fuscus, capilli et oculi nigri. Inter dyspepsiam et scirrhum pylori utilis est diagnosis, quum de hoc morbo minime sperare liceat, et si inter hos duo accurate dignoscere possimus, nobis multum negotii, et ægris fastidium et molestia medicamenta inutilia, fortasse noxia, capiendi, cavebitur. Scirrhum pylori plus doloris perpetui et aciditatis, quam dyspepsiam comitatur; post cibum captum vomitus sesquihorâ plerumque sequitur; manu apposita tumor scirrhusus

sæpe percipi potest ; et in casibus vetustis tumor usque ad umbilicum tendit. In morbis arthriticis aut calculosis, in hepatitide, chlorosi, amenorrhœa, et hysteria, ventriculus fere semper afficitur : Sed quum hi suis propriis signis, distincte definiantur ; et quum ibi dyspepsia fiat affectio symptomata, de his plura dicere nequaquam necesse est.

PROGNOSIS.

IN Juventutibus, et quibus corporis constitutio aliter bona sit, prognosis secunda est ; quippe, ætate progrediente, symptomata multa leviora fiunt, et tandem prorsus vanescunt : sin autem ætate proventus sit æger, si sub alieno Jove habitaverit, et genio indulgere assueverit, minus felix prognosis erit ; tum enim jecoris aliorumque viscerum vitia forsân causæ excitantes evadent ; et hydropes, cæterique morbi, qui ab affectione organica principum viscerum pendent, ægri filum vitale præcidere expectentur. Ex mala chyli præparatione in dyspepsia, conjicere licet, ad viscerum, et glandularum lymphaticarum obstruc-

tionem futuram esse proclivitatem. Itaque videmus homines strumoso habitu, quibus hæ obstructions sæpissime occurrunt, plus minus affici debilitate organorum quæ concoctioni inserviunt.

MORBI REMEDIA.

HÆC ad tria capita retulit CULLENUS; *1mo*, Causarum remotarum evitacionem; *2do*, Symptomatum levamen, quæ morbum graviolem reddunt, et *3tio*, Toni ventriculi restitutionem.

1mo, QUA ratione causæ remotæ depelli possint, in promptu erit iis qui has causas attente respiciant. Intemperantia et luxuriæ sedes ægro vitandæ sunt, et Venus cum Pandoræ arca quam secum affert. Quam raro in duris rusticis hunc morbum videmus! sæpius in plebe operaria urbibus, ubi vitium et pravitas latius regnant, sæpissime autem in divitibus et luxuriosis. Porro, quanto vegetiora et validiora sunt animalia indomita, aliis ejusdem speciei quæ mansuefacta sint? etiam generi humano adhuc rudi et inculto, dyspepsia, ni fallor, incognita est.

2do, Levamen symptomatum gravissimorum. Licet hæc non metuenda sint quasi multum periculi afferentia, curam tamen haud minimam sibi requirunt, quippe quæ molestiam et dolorem creent, et ad tonum ventriculi magis relaxandum pertineant. Anorexia et nausea sæpe inducuntur ab onere cibi vitiati et parum solubilis in ventriculo detento, postquam res magis solubiles, recentius ingestæ, exinanitæ sunt: Excitans causa hæc sæpius est dyspepsiæ accessus subiti et temporarii, cui nomen *bilis* impositum est; sin autem hominibus persuaderi posset cibarium conditorum minorem copiam sumere, et misturas pauciores, rarius *de bili* erat querendum. In tali casu medicamenta vomitoria utilia futura sunt; nec etiam nunc, nisi mitissima, et parce, utenda sunt. Optimum fortasse sulphas zinci, quippe quod nullam nauseam excitet, et effectus cujus cito cessent. Vomitoriorum vicem sæpe præstant cathartica lenia, motum peristalticum ventriculi et intestinorum augent, sordesque inde deorsum depelluntur.

Vomitibus optime levabitur potione effervescente et opio; hoc potius per anum injecto, quod ita

effectus noxii minus sentiuntur, quam si in ipsum ventriculum devoratur.

Cardialgia quæ non solum ipsa symptoma molestissimum est, sed morbum fovere juvat, summa cura levanda est. Optima hoc efficitur ab alkalis et terris absorbentibus. Potassæ vel sodæ carbonas omnibus præstat. Forma nuper instituta præbendæ magnesiæ, puta in solutione retenta, ope acidi carbonici remedium est efficax: Res mucilaginosæ valent tantum ventriculum ab acrimonia massæ fermentescentis defendendo; cætera remedia acorem destruunt.

Omnibus quantumvis sanis ventriculis, quædam aciditas inesse, et ad concoctionem etiam necessaria esse videtur; hujus autem vis nunquam tanta est, ut sensus molestos creet. Dyspepticos quosdam vidi, quum cardialgia afficerentur, et quum cibus sumptus acidissimus factus esset, plus cibi sumere; quo facto totam massam alimentariam ad justum acorem redegerunt; et concoctio tunc rite progressa est, hoc symptomate non recurrente.

Actio intestinorum lentior, consensu semper ad ventriculum propagatur, actionem ejus pigram reddens: Curâ, igitur spectanda, et cito removenda est; ad hoc laxativa cathartica potiora sunt;

ut rheum, aloës, sennæ, et salium neutralium, modicæ portiones.

3tio, Tonus ventriculi restituendus. Medicamenta ad hoc pertinentia, ad duo capita referenda videntur, *1mo*, Ea quæ ventriculo; *2do*, Ea quæ universo corpori vigorem suppeditant. Sales omnes, et salinæ, ad ventriculum stimulandum plus minus valent; ad hoc sodæ murias est imprimis utile: in acidis quoque stimulos perutiles habemus, quippe quæ vi antizymica fermentationem reprimant. Sulphuricum efficacissimum est, et usum aliorum supervacaneum reddit.

Ferri omnes præparationes, valde tonicæ et stimulantæ sunt; murias, sulphas, et carbonas præcipitatus, cuncta sunt remedia potentia: In his adhibendis nec nobis, nec ægris timendum est, propter atrum fœcum colorem; quum portio vel minima cujusvis e ferri præparationibus digesta ut atramentum nigra reddunt. Zinci sulphas nuper exitu felicissimo administratum est, portionibus grani aliquoties indiem sumptis. Ex amaris, gentiana, colomba; ex aromaticis, cinnamomum, zinziber, et talis amaræ et aromaticæ qualitatis combinatio, qualem in cinchona habemus, tonica sunt optima, si caute adhibita;

sive tamen, propter vim stimulantem, deinde debilitantem, sive propter vim quandam peculiaris, serius citius tonum ventriculi lædunt.

Sunt qui aliorum animalium succum gastricum ut remedium proposuerunt; et si ægro ut sumat persuaderi possit, ventriculum in suo munere fungendo fortasse juvet; ita, tamen, ab aliquo hujusmodi vorando abhorret animus, ut minime expectandum sit hoc remedium unquam multum famæ consecuturum.

Nunc de remediis ad corpus universum confirmandum utendis pauca loquamur. Horum multo efficacissima sunt, exercitatio, et frigus: Ægro multum proderit in aëre frigido versari: Ratio autem optima, qua frigoris effectibus tonicis fruatur, est, in balneum frigidum, se identidem immergendo. Actio hujus remedii parum intelligitur; contemplatione tamen, et experimento, pariter discimus, in corpore confirmando frigidarium multum valere. Expediat a principio uti aqua calente 70°, et calorem paulatim minuere; quia balneum frigidissimum ab initio adhibitum, effectus nimis violentos induceret.

Tonicorum omnium optimum est exercitatio; systematis circulantis vires auget, secretiones et

excretiones miro modo promovet, thoracem amplificat, animum exhilarat, et per effectus tonicos in corpus universum, tantum, ut nihil amplius, confert ad tonum ventriculi restituendum: Ad vires ægri accurate est accommodanda, nec usque ad fatigationem, unquam protrahenda. Res bene se habebit, si ægro botanices aut mineralogiæ amorem impertiri possimus, aut alicujus studii, in quo prosequendo delectetur pariter ac confirmetur, exercitatione ambulandi, qua eum versari oporteat: Vel nullum exercitationis genus utilius erit horticulturnam, “*Hinc Sanitas.*” Si has exercitationes ægri debilitas vetet, equitatio, gestatio, et frequens lanulis frictio, succedanea fiant.

DIETA.

REMEDIORUM jam dictorum usu diligenti multum, procul dubio, fieri poterit: Multum tamen efficiendum manebit justa ad dietam attentione. Monet CULLENUS, carnem parum ad aciditatem proclivem potius quam fruges utendam; talia cibaria tamen, non diutius sumi possunt, quin mu-

itationem manifestam in statu fluidorum inducant, et ad putredinem in toto corpore proclivitatatem. Animalium neque juniorum neque seniorum caro est preferenda, quippe quæ facilius dissolvatur.

Arte culinaria, præter quam simplex Natura edocet, minus solubiles carnes fiunt: Elixæ vel massæ digestu faciles, faciliores autem in craticula tostæ, quam ullo alio modo coquinatæ. Carnis decoctio, compluribus variis oleribus additis, Anglice *broth*, digestu difficilis plerumque invenietur: Leviter et recenter salsa caro ventriculo sæpe bene conveniet, male autem diu salsa, et fumata pejus. Panis bene fermentatus alimentum nutriens et facile concoctum est; et variandi gratia, coquitur aut aqua simplici, pauxillo sacchari addito, aut lacte, si convenire inveniat. Oryza quoque cibum facile concoctum et alentem præbet. Monendus est æger, quam minimum potest diluentium sumere; quod nimia fluiditas multum impedire concoctionem sæpe videtur. In dyspepsia sæpe maxima proclivitas est ad secretionem augendam mucii et cæterorum ventriculi fluidorum; et hac diminuta, aut, quantum a nobis pendet, non aucta, morbo mederi, vel violent-

tiam ejus saltem minuere, sæpe poterimus: Compluria animalia quæ cibo humido vescuntur, nunquam omnino bibunt. Si potus est sumendus saluberrimus forsàn aqua pura erit, aut cerevisia vivida, quæ gratum stimulum ventriculo adhibebit. Si cibariis conditis assueverit æger, ab his paulatim est abstinendus: Non edere hortandus est, nisi revera esuriat: Sin autem appetitus diu abfuerit, devorando paucos bolos, comperiet, copiam haud aspernamdam sumi posse.

Ad vestitum, et præcipue ad pedes calidos habendos, cura est danda; lanula juxta cutem gerenda; et multa symptomata morbi, hac simplici ratione, HOME vidit levata*.

* Aud. prælect. de Mat. Med. in Academia.

FINIS.

